ENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

SCITE ABDOMINALI.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b31966342_0002

9

TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE, DE ASCITE ABDOMINALI:

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

ROBERTUS ROGERS LOWRY,

HIBERNUS,

SOC. MED. HIBERN. EDINB. SOC. EXTRAORD.

ET PRAESES ANNUUS;

NECNON

SOC. PHILOSOPHICO-LITERAR. SOC.

ET PRAESES ANNUUS,

ET NUPER SOC. CHIRURGO-OBSTETR. EDINB. SOC.

ET PRAESES ANNUUS.

Nullius addictus jurare in verba magiſtri.

HOR.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT ADAMUS NEILL CUM SOCIIS.

M DCC XCIII.

" The firſt Phyſicians by debauch were made,
" Exceſs began, and ſloth ſuſtains the trade.
" By chaſe our long liv'd fathers earn'd their food,
" Toil ſtrung the nerves, and purify'd the blood ;
" But *we* their ſons, a *pamper'd* race of men,
" Are dwindled down to threeſcore years and ten.
" Better to hunt in fields for health unbought,
" Than fee the Doctor for a nauſeous draught.
" The wiſe for cure on exerciſe depend :
" God never made his work for *man* to mend."

Dryden.

" Corrupti jecoris vitio vel ſplenis acervo
" Creſcit hydrops ; aut cum ſiccatae febre medullae,
" Atque avidae fauces gelidum traxere liquorem ;
" Tum lympha intercus vitio gliſcente tumeſcit,
" Secernens miſeram proprio de viſcere pellem."

Q. Serenus.

" Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops,
" Nec ſitim pellit, niſi cauſa morbi
" Fugerit venis, et aquoſus albo
" Corpore languor."

Hor.

TEMPERANTIAE

ET

EXERCITIO

SACRUM.

CORRIGENDA.

Pag. 3	lin. 4	*pro*	temeſtatis *lege* tempeſtates
6	5		reſperatio *lege* reſpiratio
9	13		adoloſcentulae *lege* adoleſcentulae
10	11		hydropas *lege* hydropicas
21	1		inſerventium *lege* inſervientium
45	14		veroſa *lege* viroſa
47	4		ipſi *lege* ipſe
49	16		ulla *lege* nulla
53	6		termere *lege* temere
55	17		ventriculus *lege* ventriculo

TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE
DE
ASCITE ABDOMINALI.

OMNIA humani corporis cava, halitu quodam, ſuperficiebus eorum lubricandis, motui, muniiſque aliis viſcerum quae his continentur, conſervandis, idoneo, perpetuo irrorantur. Halitus de quo agitur, in ſano corporis ſtatu, ope vaſorum huic uſui inſervientium, fluidis circulum obeuntibus, denuo annumeratur. Sin vero fluidum hocce, non ea, qua effunditur celeritate reſorbetur, majori quam oportet copia accumulatum, hydropis fundamenta jacet, variaque pro variis quae occupat loca nomina adipiſcitur; in celluloſam telam effuſum, *anaſarca* nuncupatur; cum thoraci inſiderit, *hydrothorax;* cum ab-

 domini,

domini, *aſcites.* Poſtrema hac ſpecies, in ſequenti diſſertatione materiam ſola praebebit. Aſcites ſequentibus CULLENI verbis concinne definitur:

"Abdominis intumeſcentia tenſa, vix ela-"ſtica, ſed fluctuoſa *." Haec generis tantum cum ſit definitio, et in animo habeam, ſpeciei *abdominalis* nuncupatae, memet cohibere, placet, eandem authoris noſtri verbis utpote quae hanc clarius propriis ſibi notis inſigniant, in medium proferre.

"Aſcites abdominalis, cum tumore totius "abdominis aequali, et cum fluctuatione ſatis "evidente."

MORBI HISTORIA.

SYDENHAMUS notat, "Omnem hominum "aetatem, ſexum omnem ab hydrope non-"nunquam infeſtari. Foeminae tamen huic "morbo magis ſunt obnoxii, quam viri: ve-"rum hos aetate praeſertim ingraveſcente a-"doritur †." Nulla datur anni tempeſtas, nulla

* CULLEN. Synopſ. Noſol. Method.

† SYDENHAM Tract. de Hydrope.

nulla in orbe regio, quae morbi quem tractamus ſit omni ex parte immunis: Animadvertit recte nihilominus Millman, "Humidum "coelum udaſque tempeſtatis, hydropi fa"vere. Huic malo magis obnoxii ſunt qui "humili ſolo quam qui locis montanis degunt "vitam *." Aſcites ſaepe morbus idiopathicus eſt, non raro autem ſymptomaticus, originem ſcilicet trahens a morbis quibuſdam antecedentibus, veluti ictero, hepatitide, aſthmate, ſcorbuto, ſcrofula, et aliis ſummam debilitatem vel inducentibus, vel obſtructionibus viſcerum utiliorium faventibus.

Primo morbi ſtadio, tali nonnunquam tumeſcunt, ſaepius autem hoc ſignum non apparet donec morbus aliquantum proceſſerit. Ægrotus dyſpnoea et tuſſi ſicca, frequenti, et moleſta, aliquando brevi poſt morbus ſeſe oſtendit, corripitur; interdum vero, non niſi morbo provectiori, haec ſigna invadunt. His ſymptomatibus ingens moleſtia, pervigilium, et ſuffícationis ſenſus, aegro decumbente, adduntur. Morbo incipiente, pulſus plerumque tardus

* Millman de Hydrope.

tardus et debilis, ſed longius tempus perſiſtenti frequens evadit, et irregularis. Morbi initio, tumore adhuc parvo, aqua collecta, ob ejus gravitatem ſcilicet, in regione hypogaſtrica ſedem habit, morbo vero ingraveſcente, tumor augeſcit, et ventrem univerſum infeſtat, praeterque modum diſtentus malum herniam umbilicalem aliquando induxiſſe fertur. Diſtentio autem ſenſuſque ponderis, prout poſitura corporis mutatur, nonnihil variant. Namque pondus in latere, cui incumbit aegrotans, magis percipitur, dum in adverſo, eodem tempore diſtentio aliquantum relaxatur. Per hoc morbi ſtadium, fluctuatio aquae intus fere percipi poteſt, medico uni lateri manum admoventi, oppoſitumque altera leniter percutienti. Ægrotus quoque hanc ſentire queat quoties ex improviſo ſitus in lecto mutatur. Sub ipſo morbi initio ſitis parum aucta, provectiori haec autem plerumque inexplebilis fere evadit: cibi appetentia multum proſternitur, ventriculuſque, inflationibus et aliis ſignis, concoctionem haud parum laeſam indicantibus, ſaepe vexatur. Urina ab initio mor-

bi

bi uſque, parciore ſolita copia redditur, rubraque fere eſt, et ſedimentum lateritium deponit. Alvus ſaepius aſtricta, quandoque tamen profunditur. Nullus fere adeſt ſudor, et cutis plerumque areſcit. Rebus vero ita ſeſe habentibus, miſer de abdominis diſtentione et dolore magis magiſque indies conqueritur. Dum turget abdomen, tumentque artus quoque inferiores, partes corporis ſuperiores mirum in modum emaciantur, ipſique etiam muſculi morbo conficiuntur. Deficiunt magnopere vires, et torpor gravitatiſque ſenſus miſeri animum opprimunt, hiſque vita aerumnoſa redditur. Nunc inſedit ore pallor. Oculi ſublucent vitri ſemiopaci inſtar, languent tamen, omneſque eae vires, quae motui et agilitati inſerviunt, lente ſenſimque dilabuntur. Etiamſi fere miſerum habet gravis dormiendi proclivitas tamen ſomno raro fruitur, iſque tantum abeſt ut reficiat plerumque potius fatigat.

Morbi duratio in aliis atque aliis exemplis multum variat; nonnunquam per multum temporis lenis incedit, aliquando vero ſymp-

tomata

tomata incitatiori, violentiorique gradu progrediuntur. Ob ingentem regionis epigaſtricae diſtentionem, hydropicis ſpirandi difficultas, ſub finem morbi, multum intenditur, fit eum in modum incitata et difficilis reſperatio, ut, erecto vel recumbente corpore, tantum exerceatur. Neque cor, neque pulmones, libere vel facile moveri queant, et hanc ob cauſam functiones vitales multum impediuntur. "Tandem," inquit SYDENHAMUS, "cum tanta aquarum vis intra abdominis ambitum coerceri ulterius nequeat, impetu in viſcera nobiliora et vitalem arcem facto, cataclyſmo quaſi ſubmerſus perit *." Denique, regionis epigaſtricae aliquando dolores graviſſimi et acerrimi, miſerandae vitae ne unum quidem momentum a cruciatibus relinquunt, liberum. Accedit febris hectica, et appropinquante in finem exitialem morbo, coma et animi deliquium ſaepe, ſubito et improviſo, miſerandi aegri vitae aerumniſque ſimul, finem imponunt.

CAUSAE

* SYDENHAM. Tract. de Hydrope.

CAUSAE PRAEDISPONENTES.

Omnia quaecunque corporis imminuunt, vel quae cauſarum excitantium vim intendunt, hujuſce morbi ſeminiis merito annumerantur. Hujuſmodi ſunt:

Vita otioſa vel ſedentaria.—Ut corporis ad ſanitatem tuendam quam exercitatio modica adhibita nihil magis confert, ſic, ad vires ejuſdem labefaciendas quam vita plus aequo otioſa et ſedentaria, nihil certius valet; vires enim vitae infirmando, ſanguinis motum retardando, poteſtateſque concoctioni inſervientes laedendo, malis quae ſubſequuntur, fundamenta praebet; proinde inter cauſas quae homines huic morbo proclives reddunt, merito et optimo jure annumeratur. Doctiſſimus Van Swieten inter exercitationem ruriſque opera laudanda, inſequenti modo, his verbis congruentibus utatur: "Dum duro labore victum "ſibi et ſuis comparat ruſticus, quam firma "habet omnia, quam robuſta! Omnes aëris in"jurias ſpernet, duriſſimos vorans cibos dige"rit perfectiſſime. Otio et luxu perditus homo,

"quam

" quam debilis, quam miſere vivit! minimam " aëris ambientis mutationem ſenſit illico; et " millenis gulae irritamentis, quae ſatietas " non fames invenit, vix poteſt languentem " excitare ventriculum *."

Diæta parca, aquoſa, vel minus nutriens.— Hanc corporis vires vel firmiſſimas conſumere et ratio et experientia ſatis ſuperque edocent. Corpus male nutritum, debile, et exhauſtum evadit, proindeque hydropi magis obnoxium.

Uſus liquorum ſpirituoſorum immodicus.—Hi ventriculum viribus ſuis afficiunt, infirmantque, et diu, frequenter, copiaque aequum ſuperante adhibiti, hepatis obſtructiones non raro movent, et ex hoc fonte aſcites ſaepe trahit originem: " Hinc," inquit Sydenhamus, " eſt quod bibaciſſimi quique helluones, ſaepius cum hoc morbo, frigido licet, quam caeteri conflictentur †."

Uſus nimius narcoticorum, ut opii, theæ, cof-fææ.—Hujuſmodi ſubſtantiae potentias nocentes in ventriculum primum producunt hae-que

* Van Switen. Com. vol. i. § 30.

† Sydenham. Tract. de Hydrope.

que exinde per totum ſyſtema propagantur. Revera veriſimile eſt, haec narcotica, et alia ab his parum diſcrepantia, in cauſa eſſe, quod inter hodiernos morbi hydropici tam longe lateque graſſentur.

Temperamentum phlegmaticum et ſolidorum laxitas nimia.—Homines tali corporis habitu praeditos, ſaepius hoc morbo periclitari, nemo ignorat. Huic quoque cauſae forſitan tribuendum, quod foeminae, quarum ſolida, quam virorum laxiora ſunt et debiliora, hydrope magis infeſtentur: Sic, MILLMAN ſimilem doctrinam tradens, ait: "Praeſertim adoloſcentulae chloroſi laborantes, in hydropem proclives *."

Largæ exinanitiones omnimodæ, ſive conſulto factæ, ſive vulneribus fortuito inflictæ.—In aprico eſt, exinanitionem ſolito majorem, fluida vitae tam neceſſaria exhauriendo, eum in modum quemvis debilitare poſſe, ut huic morbo inermem objiciat.

Morbi antecedentes et cauſæ omnes quæ corpus infirmando agunt.—Neminem in re medi-

* MILLMAN de Hydrope.

ca, vel parum verſatum latere poteſt, hydropem, a praeeuntibus quibuſdam morbis, non raro naſci. Hi enim corporis vires labefactant, viſcera obſtruunt, in iiſque ſchirrum gignunt, quae omnia, cauſis hunc morbum inducentibus, optimo jure accenſentur. Huic opinioni ſuam autoritatem HIPPOCRATES addit: "Æſtate dyſenteriae multae incidunt, et diarrhoea, et quartanae febres diuturnae. Hi autem morbi producti ejuſmodi naturas ad hydropas deducunt, et perimunt *." Et CELSUS inquit: "Saepe vero hoc malum per ſe incipit: Saepe alteri vetuſto morbo, maximeque quartanae, ſupervenit †." Gravis fatigatio, a violentiori exercitio vel longe protracto, orta, omniaque animi pathemata deprimentia ad ſimilem effectum producendum conducunt, et vires corporis exhauriendo hydropem inducunt.

CAUSAE

* HIPPOC. de Aëre, Locis, et Aquis, Charter. tom. vi. p. 195.

† CELS. Lib. iii. cap. 21.

CAUSAE EXCITANTES.

Omnia quae vel exhalationem adaugent, vel abſorptionem imminuunt, cauſis hunc morbum excitantibus annumerantur; nec non ruptura vaſorum lymphaticorum, quae viſcera abdominalia percurrunt, ductuſve thoracici, vel hydatidum, ſua fluida ſeroſa in abdominis cavum fundentium.

I. Exhalatio adaucta a variis cauſis, et 1mo, Ab his quae reditui ſanguinis venoſi, a vaſculis corporis extremis ad cor dextrum obſiſtunt, proficiſcitur. Sanguinis venoſi, reditu impedito, arterioſus ſanguis accumuletur neceſſe eſt. Rebus ita ſe habentibus, plenitudo aequo major in arteriis efficitur, itaque earum diſtentio, a ſanguine quem continent, augetur, et exhalatio neceſſario intenditur. Omnia quae ſanguinis venoſi circuitum afficiunt, ejuſdem reditui obſtaculo eſſe queant; hujuſmodi ſunt quaedam cordis ipſius conditiones, quae quantitatem ſanguinis ſolitam a vena cava accepere non ſinunt; hinc polypi dextri cordis ventriculi, valvularum ejus oſſificatio, et magnae,

permanenteſque

permanenteſque pulmonum obſtructiones, hydropem inducere inventa ſunt; et effectus praeſtare videntur depletionem dextri ventriculi exactam impediendo, et ſanguinis moram inducendo, hinc major partium aquoſarum portio, per vaſa exhalantia, ſibi viam patefacere cogitur.

Obſtructiones autem hepatis cauſa aſcitis frequentiſſima evadit, hujus viſceris enim vaſa, impervia reddita, ſanguini vena portarum, et numeroſis ejus ramis, expeditum facilemve motum concedere negant. Hydrops quoque, ab hepate mole aucto et ſchirroſo, deorſum retrorſumque, extenſo, et venam cavam ita premente, ut motui ſanguinis venoſi in dextram cordis auriculam ſit obſtaculo, provenire queat. Cum morbi permulti, aliaeque cauſae talem hepatis obſtructionem inducere poſſint, hinc nulla alia datur ſpeciei hydropis quam tractamus, cauſa excitans frequentior.

Nonnulli auctores inter cauſas hydropis lienis affectus poſuere; an vero ab hoc ſolo, unquam originem ducat nondum ſatis conſtat. Veriſſimum eſt tales affectiones, in cadaveri-

bus

bus eorum qui aſcite conſumpti ſunt, aliquando reperiri; ſed notatu dignum eſt, has vix ac ne vix quidem ſe conſpectui prodidiſſe, niſi cum hepatis affectibus ſimul fuerint adjunctae; hinc vetus optimuſque amicus et præceptor,—ingenioſiſſimus Cullenus pro veriſimili habebat, affectus lienis ab hepate male ſe habente potius proficiſci, quam hydropis cauſae per ſe extitiſſe*. An vero hoc effatum, viro vere magno, et quod ad alia accurato, ſit dignum, veritatique conſentaneum, non meum eſt opinionem certam dare: cum vero et ratio et cadaverum inſpectiones huic opinioni favere videntur, non vitio mihi verti oro, quod credam tales ſchirros hujuſmodi affectionum cauſas aliquando extitiſſe.

Inter cauſas nimiae exhalationi amicas certam corporis poſituram enumerare oportet. Nihil manifeſtius eſſe poteſt, quam quod erecta corporis poſitura, circuitu languente, ad venoſi ſanguinis motum retardandum et exhalationem augendam conferat. Nam alta columna ſanguinis,

* *Vide* Cullen's Firſt Lines of the Practice of Phyſic, vol. iv.

ſanguinis, qui inter aortam et venam cavam inferiorem continetur, gravitate premens, reditum ſanguinis a parvis vaſis venarum difficiliorém facit, eundemque in arteriis cohibet ; hinc, ut pars fluidi hujus ſeroſa a ramulis arteriarum exhalantibus lateralibus elabatur efficit ; et haec ſententia haud parum patrocinii ſibi vindicat ob auctoritatem et VAN SWIETENII et HOFFMANNI, qui credebant, procerioris ſtaturae homines propter majorem columnae altitudinem, hujuſmodi effuſionibus magis patere.

Quinimo plenitudo vaſorum ſanguinem vehentium univerſa ab exinanitionibus ſolitis ſuppreſſis, quales ſunt amenorrhoea, haemorrhois, &c. aliam exhalationis morbidae cauſam, praebere creditur. Haec plenitudo, effuſionem uberiorem, remoram ſanguinis reditui ad cor circuitus fontem inducendo, movere exiſtimatur ; et ſic partes tenuiores, quantitatem praeter naturalem, per vaſa minora in varia corporis cava, coguntur effugere. Rem ita ſe nonnunqam habere, non dubito, quod

autem

autem aſcites, ad hujuſmodi cauſa, originem rariſſime ducat, mihi perſuaſum eſt.

Exhalatio a venis ſolitaribus obſtructis adaugeri poteſt. Non deſunt exempla ubi hydrops a polypo in vena, tumoribuſve ejuſdem tunicis enatis, ſanguinis tranſitu his obſtructo, oriebatur. Tumores etiam qui juxta adeo ſunt venas, ut earum parietes comprimant, hydropem creare haud raro reperti ſunt; tales ſunt ſchirri, ſteatomata, molae in utero, aneuriſmata, &c. Quomodo haec agunt ex jam dictis intellectu erit facillimum.

Impetus ſanguinis in arteriis adauctus, fluida in vaſa exhalantia majori vi impellendo, hydropem induxiſſe dicitur, credere tamen pronum eſt mihi, hanc ab hujuſmodi cauſa originem raro admodum traxiſſe; haec enim quamvis anaſarcam brevi perſtantem concitet, ſpeciei, quae nunc ſcrutinio ſubjicitur cauſa nunquam fere evadit.

Tumores hydropici ex diſtentionibus et contuſionibus aliquando oriri poſſint, me tamen judice, aucto ſanguinis impetui, in omni caſu, nequaquam relegandi ſunt, ſed atoniae potius,

tius, vel debilitati partis laborantis, vel vaſis lymphaticis vi diſtendente ruptis.

2do, Relaxatio exhalantium inter creberrimas aſcitis cauſas haud immerito recenſetur. Hoc evincunt membra paralytica, quibus hujuſmodi laxitatem dominari neceſſe eſt, tumoribus hydropicis non raro laborantia. Praeterea hic morbidus exhalantium affectus clarius patet, ex multis exemplis, ubi generalis corporis debilitas obtinet. In tali enim ſtatu, vaſa ſanguifera tonum ſuum perdunt, langueſcet circuitus, et vaſa exhalantia, propter conditionem laxam et debilem nimia quantitate humorem emitti ſinunt, abſorbentia quoque eandem debilitatem participantia, copiam liquoris ſolitam et juſtam imbibere cedunt, itaque ad morbum inducendum conferunt. Hinc hydropes a cauſis potenter infirmantibus, quales ſunt exinanitiones nimiae, vita ſedentaria, febres continuae et intermittentes, &c. quae aegrotantes diu vexaverunt, ſaepe oriri ſolent.

3tio, Licet cauſae de quibus ſupra verba fecimus, partibus ſanguinis juſtam normam conſervantibus,

ſervantibus, morbo ciendo ſufficiant, nihilominus animadvertendum eſt, partem ejus aquoſam auctam eundem effectum facillime praeſtare poſſe, et praecipue ſi haec cum cauſis ſupra recenſitis conjuncta fuerit. Ita quantitas aquae modum excedens, potus forma in corpus ingeſta, hydropem produxiſſe fertur. Haec res forſitan a vaſis excernentibus ad liquorem ejiciendum tam celeriter quam fuit hauſtus minus aptis, vel a cauſis fortuito quibuſdam evenientibus, veluti frigore eodem conſtringente extrinſicus, pendeat, dum aqua per exhalantia interna ſibi patefacit viam, et in cava quaedam effunditur. Idem ſentiſſe videtur Hippocrates, qui verbis quae ſequuntur ſententiam ſuam evolvit: "Quum "quis per aeſtatis tempus ex longo viae itine-"re in aquam pluviam et ſtagnantem incide-"rit, eamque avide copioſam biberit: ſi igi-"tur carnes aquam ebiberint et in ſe continu-"erint nuſquam autem ſeceſſus fiat haec con-"tingunt *." Deinde hanc obſervationem

C ſubjungit:

* Hipp. de Intern. Affect. cap. 28. Charter. tom. vii.

ſubjungit: "Hic interea ſane ſi incedat nihil "mali videtur haberi: quum autem ab in-"ceſſu ceſſarit, ſolque occiderit, confeſtim "multum laborem exhibet."

Conjecturae inſuper locus eſt, quod aqua ab aëre abſorpta portionem fluidorum ſeroſam adaugeat, hoc autem facilius eveniet, ubi corporis habitus relaxatur, circuitus tardeſcit, et cutis ſtatum exhalantem vice perſpirantis induit.

Praeterea humores aquoſi, qui e corpore vulgo ejici ſolebant, interrupti, huic morbo fundamenta jacere poſſunt, hac enim cauſa operante, ſerum, quod debet evacuari, in variis quibus deponitur cavis, atque in his congeritur. Frigus cum madore corpori jam infirmato admotum perſpirationem imminuit, vel e toto obſtruit: hinc patet, cur regionum frigidarum et humidarum incolae ſint ad hunc morbum procliviores, huic quoque doctrinae favet haec ſententia Doctoris D. Monronis, "That the people in Holland and other fenny countries are more ſubject to dropſies "than

"than they who live in a more pure dry "air *."

Quaecunque praeterea ſecretionem urinae ſolita parciorem reddunt, vel eandem ex magna parte ſupprimunt, hunc effectum praeſtare poſſint. Documentum hujus manifeſtum praebet morbus iſchuria renalis nuncupatus, ubi ſerum exuberans, via per renes obſtructa, in abdomen dilabitur, ibique aſcitem producit.

Exinanitiones ſanguinis largae et iteratae, frequens et potens hujus morbi cauſa evadunt. Hae namque, ſive ſponte proveniant, ſive arte factae fuerint, nihil refert, ſanguinem tenuem et pallidum reddunt, utpote, quae eundem magna globulorum rubrorum atque glutinis portione ſpoliant, quae ſpiſſitudini idoneae conſervandae, aptae ſunt, et ita ne ſerum e vaſis emanet, cavent. Sanguis partibus craſſioribus, hoc modo ſpoliatus, plurima eaque minime levia incommoda gignit; hinc totum corpus debile evadit, partes ejuſdem ſolidae relaxentur, et exhalatio, cum propter ſanguinis tenuitatem, tum ob tonum vaſorum deperditum, multum,

* Monro's Treatiſe on Dropſies.

multum adaugetur. Hanc, ni me fefellit obſervatio, hydropis cauſam extitiſſe ſaepe reperi; nulli enim alii cauſae, referri poteſt, me judice, quae ſequitur hiſtoria: Adoleſcentula quae, proſpera uſque ad id tempus potita fuit valetudine, et viribus illabefactis, contigit vexari menorrhagia, quae intervallis quindecim dierum, per duos annos recurrebat. Etſi recurſus fuerunt tam crebri, evacuatio tamen copioſa valde fuit, et ſolito longius perduravit. Huic pertinax ſupervenit aſcites, et remediis nullis cedens, paracenteſin undequadragies prius celebravi, quam aegra fato functa fuit.

In quibuſdam caſibus largiores diuturnique fonticuli eundem effectum praeſtare videntur. Sanguinis conditionem et craſin hujuſmodi depletionibus multum affici poſſe, nemo mirabitur: praeſertim ſi in memoria teneamus, hos, ob evacuationes purulentas quas excitant, haud parvam glutinis portionem, ſanguine demere, eaque de cauſa, hunc tenuiorem evadere.

Haud diſſimile eſt, morbos ventriculi, aliorumque organorum concoctioni et aſſimilationi

tione inſerventium, non raro inter cauſas eſſe, auctae ſanguinis ſeroſitatis; hinc ingeſta parum rite concoquuntur, globuli rubri, et gluten, debita copia non parantur, partibus aquoſis adhuc inſtrui perſtantibus, hinc ſerum in ſanguine exuberans, per vaſa exhalantia ſibi quaerat viam neceſſe eſt, in cavis ergo deponitur, et ibi hydropi originem praebet. Hoc adhuc clarius patebit, animo ſecum reputante, chloroſi hydropem non raro ſupervenire. Totius corporis pallidus color qui hunc morbum nunquam non comitatur, rubrae ſanguinis partis inopia, qui, a viribus concoquentibus aſſimilantibuſque laeſis, procul dubio ducunt originem, idem in aprico conſtituunt.

II. Alia hydropis generalis cauſa eſt, imminuta abſorptio, quae fluida ex omnibus corporis cavis inhaurire deberet. Haec, quae per extrema vaſorum lymphaticorum fit, horum infarctu interpellari poſſe credebatur, vel glandularum conglobatarum, per quas ea tranſeunt: Sed dubio locus eſt, etenim cum ramuli lymphaticorum inter ſe ſaepius communicent,

haud

haud veriſimile eſt, ut obſtructio unius vel plurium glandularum hydropem producat.

Eadem quoque de cauſa, ipſarum glandularum lymphaticarum obſtructiones effectum hunc rariſſime edunt; et ſi a tali cauſa, morbus aliquando oriatur, obſtructis praecipue glandulis meſentericis potius quam caeteris, attribuendus eſt. Sed tamen in his rariſſime occurret. Clariſſimus Cullenus memoriae prodit, ſe plurima cognoviſſe exempla, quibus harum vel longe major portio valde fuit tumefacta, ſalvo tamen fluidorum tranſitu, et nullo exiſtenti hydrope.

Cauſa autem abſorptionis imminutae frequentiſſima, me judice, eſt paralyſis abſorbentium, eorum fines afficiens. Certum tonum et vim vaſis reſorbentibus, aeque ac omnibus aliis corporis partibus, requiri, quo muneribus ſibi propriis perfungantur, nemo dubitabit. Liquet igitur, cauſam quae exhalantia laxitate debilitateve afficit, reſorbentia pari modo affecturam, adeo ut relaxatio illorum cum toni jactura in his, ut plurimum conjuncta fuerit. Et in hujuſmodi laxitatis exemplis, obſervant

authores

authores quidam vim exhalantem abſorbenti ſuperſtitem eſſe. Huc pertinet ſententia Van Swieten in ſequentibus verbis expreſſa: "Si-" "mul tunc notabatur, quod in ſummis lan-" "guoribus diutius videatur perſiſtere vis e-" "vacuans arteriae, quam vis reſorbens ve-" "nae *."

Abſorptionem imminutam in hydropibus creandis, majori vi pollere, quam adauctam exhalationem, concludere licet, ex eo quod, qui ex hoc morbo convaluerunt, medicamentis actioni reſorbentium concitandae idoneis, ſanati fuiſſe videntur; et authoris ſupra laudati obſervatio, in commentario ejuſdem aphoriſmi, aliquid auxilii huic doctrinae porrigit: "Accedit praeterea, quod in diuturniori hy-" "drope obſervatum fuerit, limoſas faeces in-" "cruſtare latera cavi continentis, quibus oſ-" "cula venoſa obturantur."

III. Altera hydropis cauſa generalis, eſt ruptura, lymphaticorum, partiumve, quae conſimilem fluidum continent. Licet haec in hydrope ciendo, non aeque polleat, ac cauſae ſupra

* Van Switen. Com. Boerhaave Aph. 1228.

pra recenſitae, inter eas tamen, optimo jure locum ſibi vindicat. " Veriſimile etiam eſt," inquit BONETUS, " Vaſa lactea diſrupta, hu-" morem ſuum in abdominis cavitatem effun-" dere*;" et VAN SWIETEN, in commentario nuper citato, de hydrope, hanc conſentaneam opinionem tradidit: " Si impedito libero motu " ſanguinis venoſi diſtenta maneant vaſa lym-" phatica, poterunt et aucta diſtentione rumpi, " et liquidum contentum in cava effundere."

Creditum eſt, lymphatica magna diſtentione et compreſſione muſculorum vicinorum, rumpi poſſe: quidquid autem pro cauſa haberi poteſt, certum eſt hoc aliquando accidiſſe. Rationi quoque conſentaneum eſt, credere, quod et vaſorum lymphaticorum, et ductus thoracici partis inferioris ruptura, fluidaque quae vehunt in abdomen evacuando, hydropem inducere poſſit.

Quinimo eroſionem et rupturam renum, ureterum, vel ipſius denique veſicae, et veſicularum ſaccorumque, eadem mala induxiſſe, nunc pro certiſſimo habetur. Caſum hujuſmodi

* Vide BONET. Sect. 21. de Hydrope.

modi in operibus Meadii legimus, ubi a rupto ovario, quod magnam aquae quantitatem continebat, hydrops ortus fuit.

CAUSA PROXIMA.

Hanc ſemper, vel ab exhalatione adaucta, vel imminuta abſorptione, vel ex utriſque ſimul junctis, pendere medici crediderunt. His autem cauſis, ſit mihi fas aliam aliquando exiſtentem ſubjungere, ſcilicet rupturam immediatam, lymphaticorum, ductus thoracici, aliorumve organorum, ſerum aut fluidum aquoſum vehentium.

DIAGNOSIS.

In nullo fere morbo, quam in hoc dijudicatio difficilior evadit; ſumma igitur attentione opus eſt, ne aſcites, cum morbis quibuſdam, eum referentibus, confundatur.

Ab aſcite ſaccato interdum difficillime quidem dignoſcitur; praeſertim, ſi ſacci ſint magni, et morbus diu perſtiterit. Sunt tamen quae hunc ab illo, in omni fere caſu, diſtinguere poſſint. In hydrope ſaccato, morbus

gradatim incedit, tumor magis circumſcribitur, et extrorſum magis vergit; ventris forma, in variis corporis poſituris, minus mutatur; nulla fluctuatio extra tumoris fines, in abdomine percipitur; extremitates inferiores non tumeſcunt donec morbus diu perſtiterit, et tumor ingentem molem adeptus fuerit; ſpiritus minus impeditur, dum aeger quovis modo nititur, vel per accliva aſcendit; cibi appetentia haud multum imminuitur; ſomnus naturalis parum turbatur; ſitis haud aeque urget; et urina minime tantum imminuitur, quantum in morbo generali contingere ſolet. Varia praeterea corporis munera parum vel nihil impediuntur; neque macies neque debilitas, ac in aſcite abdominali, tam latum imperium habent. Hujus morbi denique duratio aliud ſignum ſuppeditatur, quo ab aſcite dignoſci queat, longius enim perennat, raroque aegrotum ex improviſo, e medio tollit. Duo caſus hujus ſpeciei, ob durationem inſignes, memoriae mandantur auctore VAN SWIETEN; ex his unus, quinquaginta octo annos perdurabat, alter quadraginta quatuor.

Hydrops ovarii aſcitem verum ſaepe adeo refert, ut illum ſilentio praetereundum minime cenſeam. Sub initium morbi, tumor in uno tantum latere percipitur, ſenſim augeſcit, donec ſerius ocius totum abdomen occupet, et ventre ita diſtento, neque cor neque pulmones aeque opprimuntur, ac in aſcite abdominali. Ingraveſcente autem malo, tanta illum inter et aſcitem exiſtit ſimilitudo, ut medici vel peritiſſimi alium ab alio diſcernere non poſſint: Sed progreſſus hujuſce morbi tardus, omnia ejus indicia mitiora, et ſigna ſupra enumerata, nos ab hoc labyrintho forſitan aliquatenus poſſunt extricare.

Aſcites aliquando cum tympanitide, ſed perperam, ut nobis videtur, fuit confuſus. Nam in tympanitide nihil fluctuationis, percuſſis integumentis in abdomine, percipitur, ſed inſtar tympani humidi ſonus emittitur; in aſcite autem eadem nunquam non reperitur. Praeterea inter hos morbos Van Swieten inſequens diſcrimen tradidit: "In tympanite nunquam "abdomen in tantam molem extenditur, ac "in aſcite: abdomen in latera magis compreſ-

"ſum

" ſum eſt, anterius autem magis prominet *."
Tympanites neque ſiti adeo intenſa, neque ſecretione urinae aeque imminuta, coloreve adeo rubro, ac aſcites nunquam ſtipari ſolet; in tympanitide tumor abdominis, minus ponderis pro mole habet, et moleſtia, quae aegrum magnopere vexat, per flatum ſurſum deorſum expulſum, plerumque levatur; non autem in aſcite.—Eadem diagnoſis, quae exiſtit inter tympanitidem abdominalem et aſcitem, huic ab uteri tympanitide diſtinguendo ſufficiat.

Hydrometra quoque ſpeciem aſcitis nonnunquam ſibi aſſumit. Prior autem in parte abdominis inferiori incipit, et per aliquod temporis regioni pelvis tantum, incidit. In omni corporis poſitura, uteri figuram fere referentem retinet, et in laterali ſupinoque ſitu, nequaquam eum in modum ut aſcitis tumor diffunditur. In hydrometra fluctuatio haud aeque clare percipitur, menſtrua manare deſinunt, et digito per vaginam introducto, uteri os occluſum, ipſeque uterus capacitate auctus, mollis, et fluido quem continet diſtentus, reperitur;

* Van Swieten. Com. Boerhaave Aph. 1226.

peritur: hoc certiſſimum diſcrimen praebet, quo haec hydropis ſpecies, ab ea quam tractamus probe dignoſcatur.

Quantum graviditatem inter et aſcitem abdominalem diſcriminis detur, in aprico erit, cum memoria teneamus ſigna, graviditatem et praecedentia et comitantia, ab his quae aſcites ſibi vindicat, et de quibus ſupra verba fecimus, multum diſcrepare. Inſuper, menſtrua inter geſtandum manare plerumque deſinunt, foetuſque motus aliquando detegitur, elapſo quodam temporis ſpatio. His additur nauſea, qua mulieres gravidae afficiuntur; ſed praecipue magnitudo, firmitas, poſitio, pondus, et uteri diſtentio, per vaginam explorata, tumque aliam ab alio diſtinguere non omnino difficile erit.

Aſcites denique diverſis phyſconiae ſpeciebus, nullo negotio, ſecernitur; tumore ſcilicet lentius incedenti, forma ſituque partis laborantis, et ſonitus ac fluctuationis abſentia.

PROGNOSIS.

PROGNOSIS.

Aſcitis eventum, a cauſis morbi et ſignis rite perpenſis, ſpatio temporis per quod jam duraverit, aetate et conſtitutione aegri praedicere poſſumus. Finis autem aeque fauſtus, ac anaſarcae, minime expectandus. Haec differentia oriatur, quod, cauſa morbi non tam clare percipitur, quod aqua, cavo abdominis contenta, non aeque facile abſorbetur, ac ea quae in telam corporis externi celluloſam diffunditur. Si vero aeger, non multum aetate provectus ſit, conſtitutionemque corporis valentem habeat; ſi aſcites non a praecedentibus morbis ortus fuerit; ſi vires non admodum fractae videantur; ſi morbus non multum progreſſus fecerit; ſi corpus non multum emacietur; ſi viſcera in abdomine contenta careant ſchirro, et ſano ſtatu frui videantur; ſi nulla adſit eorundem obſtructio; ſi neque febris, neque ſitis acceſſerit; ſi ſpiritus illaeſus manſerit; ſi aqua haud magna et abſque acrimonia accumuletur; ſi appetentia cibi non multum imminuatur; ſi urinae quantitas parum decreſcat, ſalutis

lutis ſpes non dubio affulget.—Si vero e contra, aegroto multum aetatis acceſſerit; ſi vires defecerint; ſi morbus a diuturnis viſcerum oppilationibus, ortus fuerit; ſi febris, ſitis, et ſpiritus difficilis incumbant; ſi magna aquae copia in abdominis cavum confluxerit, et acris facta fuerit; ſi a ſchirris, tumoribuſve, ſteatomata dictis, interiora occupantibus, et venas prementibus originem duxiſſe reperiatur; ſi a polypis in corde natis, vel ab oſſea ſubſtantia in valvulis hujuſdem, aut vaſis majoribus, in ejus vicinitate pulmonibuſve, locatis; ſi ex hydatidum, ductus thoracici, vaſorumve lymphaticorum ruptura proveniat; ſi urina parca, et colore rubido tincta reddatur; ſi malum cachecticae corporis conditioni ſupervenerit; ſi morbis idoneis remediis inexpugnabilis permanſerit, et in dies magis intenditur, aegrotus in ſummo periculo verſari, haud immerito cenſetur; nulla enim cura, nulla medicamenta, adhuc nota, miſerum omnivorantibus orci faucibus eripere poſſunt.—Artuum inferiorum tumor, niſi a leucophlegmatia, totum ſyſtema pervadenti, oriatur, infeliciſſimo

mo omini eſt. Ultimo morbi ſtadio, ubi aeger gravibus et lancinantibus abdominis doloribus torquetur, mors citato gradu appropinquat, et certamini naturae vires inter et miſerum, illachrymabilis brevi finem imponit.

RATIO SIGNORUM.

Pedum crurumque tumores.—Hi, morbo recente, a leucophlegmatia generali, pendere videntur, provectiori vero ejuſdem gradu, aliam cauſam plerumque agnoſcunt, ſcilicet compreſſionem venae cavae, aut venarum iliacarum, quae ſanguinis refluxum interpellat. Hinc, gravitatis fluidorum cauſa, praeſertim in erecta corporis poſitura, artus inferiores intumeſcunt: nam ſanguinis, qui inferiora petebat, partes ſeroſae, ob impeditum refluxum, in telam celluloſam dilabuntur.

Tuſſis ſicca, et ſpirandi difficultas.—Dyſpnoea, quae invadente malo, aliquando apparet, a debilitate corporis totius, aut muſculorum et organorum reſpirationi inſerventium, oriri poteſt. Nonnunquam vero, praeſertim cum morbus aliquantum proceſſerit, a mole et co-

pia

pia aquarum, quas abdomen continet, provenire queat; hae enim, quominus, ſeptum tranſverſum, libere deſcendat, impediunt. Quinimo judicatur, hujuſmodi cauſa agente, ſanguinem in pulmonibus accumulari, veſiculas aëriferas hinc comprimi, proindeque reſpirationis munera aegrius perfici.—Tuſſis ab irritatione e cauſis ſupra recenſitis enata, pendere videtur.

Cibi appetitus proſtratus.—Quod hic a fibris ventriculi atonia affectis, oriri poſſit, nemo inficiabitur, cum corpus univerſum ingenti debilitate laborat, praeſertim cum animo reputemus, ſummum dari ventriculo, cum aliis omnibus corporis partibus, conſenſum. Animadvertendum eſt inſuper, ventriculum et inteſtina, aquis hydropicis nunquam non objecta, ad tonum organorum principum deperdendum, ſatis ſuperque pollere.

Sitis adaucta.—Haec a partibus fluidorum tenuioribus et aquoſis in abdominis cavum majori aequo copia percolatis, excitari poteſt; hinc os, fauces, et aliae oris partis nonnihil ſicceſcunt, indeque, intenſae ſitis cauſa in aprico eſt.

Urina parca.—Hoc ſignum, auctores quidam a renibus compreſſis pendere arbitrati ſunt, et fortaſſe non ſine cauſa. Sed hoc ſymptoma huic ſoli cauſae minime attribuendum eſt, quippe cum hydrothoraci comes incedat, nulla hujuſmodi compreſſio in cauſa eſſe poteſt. In pleriſque exemplis, ſi liceat mihi judicare, tribuendum eſt potius affluxui humorum abdominis cavum verſus adaucto; hinc fit, ut quantitas juſta et naturalis ad renes non deferatur.

Cutis arida.—Perſpiratio imminuta a conſtrictione vaſorum per ſuperficies reptantium aliquatenus oriri poſſit, qua ratione materia perſpirabilis, ad partes internas derivetur, et ope exhalantium in abdominis cavum profunditur. Mihi autem veriſimilius videtur, hoc potius attribuendum eſſe, libero curſui quem nunc fluidum per haec vaſa habet, nec non circuitui imminuto, qui, corpore jam debili exiſtente, excretionem hanc cutem verſus dirigendo impar evadit, proindeque eandem aridam relinquit.

Ictus arteriarum abnormes.—Spatium temporis longum, quo aſcites fere perdurat, proindeque diverſi irritationis gradus quibus corpus objicitur, varias mutationes in cordis et arteriarum actione, neceſſario inducunt. Initio morbi, hujus actionis variatio haud magna eſt, at morbo provectiori, et cum aegrotus graviſſimis doloribus torqueatur, et totum ſyſtema valde irritetur, pulſus cordis arteriarum, frequentiores fiunt et magis abnormes.

Alvus aſtricta.—Haec vel abſentiae fluidorum, quibus, ut muniis ſuis rite perfungantur, inteſtina opus habent, imputatur, vel potius torpori, qui a generali ſyſtematis affectione proveniens, ut eadem ſtimulis uſitatis non aeque afficiantur, facit.

Febris hectica.—Quamvis hydrops a febre morbus alieniſſimus eſſe videatur, nihilominus in quibuſdam exemplis, in iis praeſertim ubi morbus per aliquod tempus duravit, lenta febris accedit. Immodica diſtentio, ex ingenti copia humoris collecti, et dolor acutus inde natus, vel effuſus humor jam acris redditus, et in ſanguinem abſorptus, et fluidis circulum obeuntibus

beuntibus commixtus, hanc febrem excitare valeant.

Vultus et totius corporis pallor.—Hic attenuatae, aquoſaeque fluidorum omnium conditioni originem debet: vires enim concoctioni et aſſimilationi inſervientes, eum in modum infirmantur, ut vaſa ſanguine rubro et idoneo privantur. Huic quoque cauſae imputanda emaciatio, quae in omnibus hydropibus diuturnis ſeſe manifeſtat.

Dolores excruciantes.—Hi, ab integumentis abdominis aqua nimia diſtentis aliquando oriuntur, vel potius ab aquis ſtagnatione eo acritudinis provectis, ut viſcera in illo cavo contenta inflammatione et eroſione afficiant.

RATIO MEDENDI,

Ut ex anteadictis patet, tria complectitur conſilia; quae ſunt ſequentia:

I. Cauſas remotas tollere.

II. Aquam jam collectam evacuare.

III. Tonum ſyſtemati reddere.

Quod ad primum conſilium attinet, ut omnes remotae hydropis cauſae, ſedulo evitentur.

Si

Si morbus, exempli gratia, ab intemperantia vel deſidia provenerit, aegrotantem ſumma ope niti decet, ut eas in poſterum effugiat. Aliquando vero infeliciter accidit, quod aſcites, aliis praeeuntibus morbis, pro cauſis remotis gaudeat, qui ſaepe haud facile ſanandi, vel prorſus inſanabiles fiunt. Rebus autem ita ſe habentibus, morbos iſtos a quibus hydrops pendet, quantum ſitum eſt in nobis, fugare remediis iis accommodatis, eſt aggrediendum.

Ob hanc indicationem comparandam, utpote quae unam ex cauſis remotis ſupra recenſitis, fuget, mentionem venaeſectionis facere conſentaneum erit. Auctores ſunt Monro * et Home † hanc in quibuſdam caſibus remedium eſſe longe praeſtantiſſimum; et veriſimile eſt, in exemplis nonnullis, ubi aegrotus viribus gaudet illabefactis, et temperamento plethorico, ubi diatheſis phlogiſtica exiſtit, et ubi patet, quod intumeſcentia ex his cauſis oriatur, hoc remedium inter optima recenſeri debere. In morbo autem, qui plerumque a magna

* *Vide* D. Monro's Treatiſe on Dropſy.

† *Vide* Home's Clinical Experiments.

magna debilitate ortum ducit, venaeſectio, non abſque ſumma cautione, adhibenda eſt. Pauca dantur exempla equidem, quibus hujuſmodi remedio opus erit: cum vero ei etſi rarius confugiendum ſit, tales aliquando caſus exiſtere, et cum hoc uti oporteat, noviſſe convenit.

Remedia quae aquam e cavo abdominis eliciunt, ſunt; 1mo, Omnia quae excretiones aquoſas incitant, quo pacto abſorptio adaugetur, et fluidum hydropicum in circuitum devehitur, per unam pluresve excretionum ejiciendum; 2do, Paracenteſis.

Quae excretiones aquoſas intendunt, ea ſunt, purgantia, diuretica, ſudorifica, emetica, ſialagoga. De his vero ſigillatim.

1mo, *Purgantia.*—Multa exempla narrantur ab auctoribus fide dignis, ubi hydrops purgantibus ſolis conceſſerit, vel etiam penitus fugatus fuerit. Ea in duas claſſes, valentiora ſcilicet, et mitiora, diſtinguere liceat.

Valentiora vel draſtica.—Ex his praecipua ſunt, ſcammonium, gambogia, elaterium, helleborus, jalapa, et quae e mercurio praeparantur

tur, vel cum aliis purgantibus, vel per ſe adminiſtrata. Haec ad abſorptionem promovendam, majori vi gaudere videntur, cum effectus eorum ſtimulantes in omnes alias corporis partes facilius propagentur. Iteranda ſunt tam ſaepe ac vires aegrotantis ferre valebunt. Sydenhamus, Monroeus, Meadius, et Cullenus, in variis partibus eorum ſcriptorum, huic methodo favent. Sed quanquam mihi perſuaſiſſimum habeo, hanc doctrinam eſſe juſtam, nihilominus crédere cogor, cum poteſtates eorum valde debilitantes ſint, ſumma cum cautela, praeſertim iis in caſibus, quibus conſtitutio infirmanda fuerit, uſurpanda eſſe; et ſi effectus fauſtos haud cito edant, omittenda, et alia remedia, quae minus infirmari ſolent, adhibenda.

Mitiora.—Hujuſmodi ſunt caſſia, manna, tamarindi, pruna Gallica, &c. quae nihil praeter faeces exhauriunt, proindeque ad tollendum hydropem viribus haud magnis gaudent. Teſtes eſt Donaldus Monroeus carthartica, vel eodem tempore, vel interpoſitis diureticis adhibita, urinam augere, et niſi me fefellit obſervatio,

idem

idem ſaepe notavi. Veriſimile eſt hunc modum eſt optimum ea adminiſtrandi; et forſitan hydropis ſanatio catharticis ſolis, nunquam committi debeat. In hujus morbi curatione, cryſtalli tartari nuper multum laudati ſunt. Hoc medicamentum primo nobis intulit MANGHINI; poſteaque eo feliciſſimo eventu uſus eſt celeberrimus Profeſſor HOME. Quum autem ejus utilitas ex viribus diureticis potius quam ex catharticis proveniat, de illis ſub claſſe diureticorum amplius verba facere decrevi.

2do, *Diuretica.*—Haec a medicis, in hydrope nec immerito, magnis laudibus ornantur, et rationi minime diſſentaneum videtur, cur exiſtimemus abſorptionem, urinam promovendo, aeque facile movere ac quovis alio in hujus morbi ſanatione adhibito. Uſus diureticorum adhuc magis requiritur, ſi nobiſcum reputemus, quantitatem minime exiguam humoris ſeroſi, qui ſanguini ineſt, per renes exire. Hoc commodo, prae caeteris remediis potiuntur, quod vires non aeque labefactant, et per longiorem temporis, decurſum adhiberi poſſunt.

ſunt. Proinde provecto jam morbo, cum alia remedia, ut emetica et purgantia, debilitatem augerent, et morbum magis formidandum redderent, aut corporibus infirmis, aut in foeminis hyſteria laborantibus, ad ea praecipue eſt decurſum. Magnopere vero dolendum eſt, haec effectus admodum incertos dare, proindeque quod eorum uſui parum confidatur. Ratio cur diuretica in cienda urina, multum laudata, aliquando proſpere edant, et toties ſpem irritam reddant, medicorum perſpicacitatem hactenus effugit. Diuretica vero, aeque ac omnia alia evacuantia, obſtaculum primum difficilius ſolvunt, poſtea autem facilius continuatur eorum operatio, huic obſervationi favens Gregorius, in opere non magis quam pro meritis laudato, inſequenti modo opinionem tradit: "Impedimento vero, quicquid "demum fuerit, ſic ſemel ſublato, ſecretio "poſtea juſta et naturali copia perficietur. "Eximium hujuſmodi exemplum in hydro- "picis ſaepe videre eſt, quibus urina fere "parca contingit; eadem vero idoneis medi- "camentis ſemel mota ita ut copioſius fluat,

"pergit haud raro libere fluere diu poſt medicamenta omiſſa *." Diuretica in diluentia, ſalina, et acria dignoſcuntur.

Diluentia.—Uſus liquorum diluentium in hydropis ſanatione olim a medicis perniciosus habebatur, et ex recentioribus nonnulli idem aſſeverant. D. Monroeus, qui tractatum eximium de hoc morbo publici juris verbis quae ſequuntur de hac re ſententiam, evolvit: "I have known two perſons," ſays he, "labouring under a very ſevere aſcitical dropſy, who had reſolution and patience enough ſtrictly to practiſe this ſelf-denying method, and were both perfectly cured †;" et Meadius dicit ſe duo ſciviſſe exempla, ubi aegroti, hujuſmodi abſtinentia ſola adhibita ſalvi evaſerunt; Sydenhamus quoque ait, "Hic vero magni momenti eſt, quandoquidem omnes, qualeſcunque demum ſint, aquis nonnihil incrementi dant; adeo ut vel omnimodo abſtinentia a potu nonnullos ſanaverit: atque ob eam cauſam ſi liquoribus iſtis quando-

"que

* Vide Conſpect. Medicinae Theoret, vol. ii. § 1348.

† *Vide* Monro's Treatiſe on Dropſy.

"que indulgendum ſit, aeger tamen admodum "parce eos bibat *." Veruntamen, nuperior et plenior experientia, uſum diluentium largum, non modo tutum eſſe, ſed inſuper maximum ſucceſſum inde ortum, teſtatur. Nemo fere inficias ibit, quod copia liquorum aquoſorum in ventriculum ingeſta hydropi nonnunquam viam ſternerit; et haec res forſan in cauſa fuit quod veteres ab eorum uſu e toto abſtinebant, qua ratione hunc morbum non raro ſanari affirmaverunt. Verum et Cullenus et Home aſſerunt, tantum abeſſe ut liquores aquoſi noceant, hos ſaepe prodeſſe, praeſertim ſi curatio fit per diuretica, quorum efficaciam hujuſmodi liquores intendere credunt. Memoria vero tenere oportet, quod niſi urina ſuperet potum invectum, vel ſaltem hunc adaequet, aquam redundantem per exhalantia interna tranſituram; ſed contra, uti Celsus ait: "Neque alienum eſt, metiri et potionem "ejus, et urinam: nam ſi plus humoris excernitur, quam aſſumitur, ita demum ſecundae "valetudinis ſpes eſt †."

Salina.

* Sydenham. Tract. de Hydrope.

† Cels. cap. 21. de Hydrope.

Salina.—Diuretica, quae ſub hoc nomine praecipue uſurpantur, ſunt cryſtalli tartari et ſales alkalini.

Cryſtalli Tartari.—Hi urinam efficaciſſime promovent, et hydropem, poſt multa acria fruſtra adhibita, ſanaſſe feruntur. Effectus eorum diuretici magnopere adaugeri videntur, cum in magna aquae quantitate ſolvuntur. Ergo, quo maximus fructus ex iis eliciatur, multum diluti adhiberi debent: hoc autem neglecto, evacuatio urinae parum vel omnino nihil efficietur.

Sales Alkalini.—His praeſertim fixis ut remediis diureticis ſaepe utimur, et medicamenta haecce aliquando urinam quantitate minime contemnenda promovent. Alkali volatile, quod corpus praeter modum excitat, et ſudorem elicit, hoc conſilio raro adhibetur. Cryſtalli Tartari remedium ſunt, ni fallor, longe efficacius et tutius quam ullus ex ſalibus alkalinis; nam illi licet, per longum temporis ſpatium uſurpentur, ductui alimentario nunquam officiunt, hi vero propter vim quam habent ſepticam, febrem, et ſitim adaugent, et alia

quoque

quoque mala inducunt: Aſſerit nihilominus JOANNES PRINGLE, Baronettus, "That he "found the dropſies, which were the conſe-"quences of intermittents, to be chiefly cured "by the lixivial ſalts, either in the form of "broom aſhes, ſalt of wormwood, or ſalt of "Tartar *." Quod ad caetera diuretica ſalina attinet, multi ſalium mediorum hac vi quodammodo gaudent; ſed quoniam iis ſupra poſitis, minus ſunt efficaces, vix operae pretium iis amplius immorari duco.

Diuretica acria.—Sunt nicotiana, ſcilla, allium, colchicum autumnale, digitalis, lactuca veroſa, cantharides, &c.

Nicotiana.—Multa exempla a D. FOWLER Eboracenſi memoriae mandantur, de fauſtis hujus plantae effectibus in hydrope tollendo; et non ſolum tuto propinari, ſed inſuper remedium diureticum utiliſſimum ſaepe et efficaciſſimum, extitiſſe contendit. Fatendum eſt tamen nicotianam (licet viribus diureticis potentiſſimis guadeat, et curante medico perito, abſque ullo periculo adhiberi poſſit,) aliquando

* *Vide* Pringle on the Diſeaſes of the Army.

do effectus valde graves edidiſſe, et aegrum non tantum in ultimum diſcrimen intuliſſe, ſed eundem e medio ſuſtuliſſe. Hinc, in ea utanda, multa cura opus eſt. Cum hac cautela, et ubi eam ventriculus facile ferat, quidam medici experti credunt hoc medicamentum ſcillae eſſe antiponendum.

Scilla.—Hoc medicamentum, vetuſtiores ſummis laudibus proſecuti ſunt. Quo diureticae hujuſce radicis vires intendantur, commodum erit, eam ſeligere formam, quae nauſeam quam minimum excitet. Subſtantiae diverſae ei conjunctae fuerunt quibus ventriculo minus ingrata evadit. Pilulae ſcilliticae Pharmacopoeiae Edinburgenſis huic propoſito haud male accommodantur. Profeſſor noſter Duncan, ob ſcrutinia de omnibus quae medicinam pertinent, obſervationes accuratiſſimas, et candorem periti et boni medici, inſigniſſimus, extractum gentianae, huic indicio optime accommodari cenſet *.

Scilla mercurio conjuncta, cum feliciſſimo eventu in hoc morbo adhibita fuit. Oportet, me

* Praelect. Pract. Duncan.

me judice, mercurium vel cum ſcilla, vel cum tartari cryſtallis, ſemper fere conjungere, quoties ad hydropem tollendum exhibetur: nam praeter effectus diureticos quos edit ipſi hydrargyrus, eo ſyſtema ita affici, ut vires horum medicamentorum ſpecificae, certius et efficacius, in renes dirigantur, vehementer ſuſpicor. Quacunque autem ratione explicentur remedii hujus effectus, experientia ſatis confirmata conſtat, eum vi diuretica haud exigua dotari, proindeque dignum eſſe mercurium, qui adhibeatur. Veriſimile, mea quidem ſententia videtur, nullum dari certius in hydrope tollendo remedium, quam hydrargyrum cum ſcilla vel cum tartari cryſtallis conjunctum. Horum quoque medicamentorum vires, liquidis cardiacis et diureticis, cujuſmodi eſt miſtura, *gin punch*, dicta, vel aqua alkalina aerata, ſimul propinatis adaugerentur; et utilitas eorum adhuc magis intenderetur, ſi, eodem tempore, aegrotanti abdomen fricaretur, vel ictus electrici leviores per hoc tranſmitterentur; vel forſitan magis ex re foret, uti methodo

methodo magno in opere laudata *, hominem ſuper ſolium nulla conductrice vi dotatum locare, et liberum tubo principi ad hunc dare fluido electrico tranſitum, dum machina movetur, et hoc per unam alteramve horam continuare.

Allium.——Hoc, ineunte morbo, adhiberi commendat SYDENHAMUS, et dicit, ſe hydropem hoc remedio diſcuſſum noviſſe. Licet tamen radix haecce, quantitate ſatis larga, deglutita, renes verſus procul dubio determinet, multum nihilominus abeſt, ut ea vi qua alia medicamenta, hactenus omnibus nota, gaudeat.

Colchicum autumnale.—Hoc a STORCKIO ſummis laudibus proſecutum, in tollendo hydrope frequenter uſurpatum fuit. Acriter nihilominus inter medicos de vi ejus diſputatum eſt; a quibuſdam enim maximam commendationem accipit, dum ab aliis iners eſſe reputatur. Sed non deſunt exempla, ubi urinae excretio valde copioſa ejus uſum excepit.

Digitalis.

* *Vide* Ӕncyclop. Britan. vol. xi.

Digitalis.—Multa ſunt exempla, ubi ſucceſſus feliciſſimus, ex hujus medicamenti uſu emanavit. Dr. WITHERING, qui ea, in hydrope ſanando, ſaepe uſus eſt, formis diverſis et variis virium gradibus, digitalem propinavit. Quocunque autem modo hoc medicamento utimur, a parvis doſibus ordiri, et prout aegrotantis ventriculus tolerare queat, eaſdem gradatim augere neceſſe eſt. Largioribus enim doſibus digitalis adminiſtrata, effectus violentiſſimos excitaſſe, et ipſam mortem induxiſſe reperta eſt.

Lactuca veroſa.—Ob vires diureticas, a Dr. COLLIN Viennenſi, maximis laudibus proſecuta eſt. Pro comperto nihilominus habeo, noſtrates ulla adhuc experimenta inſtituiſſe, quae bonos ejuſdem effectus confirmarent, vel refellerent.

Canthrides.—Hae medicamentis diureticis annumeratae fuerunt, ob ſtimulantes quos edunt in renes effectus. Verum ob violentem operandi modum, et quia indicio non ſemper reſpondent, ab hodiernis raro aut nunquam hac intentione adhibentur.

Opium.——Licet MOOREHOUSE et MILLER MEADIO forſan aſſentientes, in diſſertationibus eorum inauguralibus, remedium hoc diureticis viribus gaudere, cenſeant, hujuſmodi nihilominus effectus minime potentes edit; et quamvis in hydrope, aliis utilibus indiciis comparandis inſerviat, effectus diureticos efficaces, raro dabit.

Multa ſunt alia ad hunc locum diuretica pertinentia, cujuſmodi ſunt, pariera brava, cineres geniſtae, pilulae Bacheri, cineres nicotianae, oleum juniperi, oleum terebinthinae, radix ſenekae, daucus Creticus et ſylveſtris, radix raphani ruſticani, cochlearia hortenſis et marina, ſemen ſinapi, cepa, taraxacum, meſembryanthemum cryſtallinum, &c. Haec inquam, laudata fuerunt, et pro re nata, non abſque commodo adhibeantur.

Omnium autem horum medicamentorum doſes, aeque ac praeparata eorundem maxime laudata, praetereunda cenſeo, tum quia hujuſmodi diſſertationibus, hic locus non eſt, tum utpote quae omnibus notae ſunt, ſuperfluae prorſus forent. Praeterea a prudentia medici

et

et indiciis quibus velit reſpondere multum pendet.

De his omnibus notandum eſt, eadem diuretica, non aeque proſpere ſuccedere in omni caſu; non raro, unum ex his felices effectus edit, aliud vero nullum: ſales lixivii, hydropes qui ſcillae et hydrargyri muriati mitis viribus inexpugnabiles reſiſtiterunt, e toto ſuſtulere; contra vero, exiguis doſibus mercurius dulcis exhibitus, ſalibus his fruſtra adminiſtratis, aquas collectas elicuit; quinimo ſcilla aliquando votis reſpondit, poſtquam morbus a duobus prioribus medicamentis invictus evaſerat; ergo ſi unum diureticum incaſſum adhibeatur, ad aliud oportet confugere. Idem de diaphoreticis judicium ferre licet.

3tio, *Sudorifica.*——Haec utiliſſima ſunt, ſi hydrops a perſpiratione impedita, oriatur. Plus in anaſarca quam aſcite, prodeſſe feruntur. Multa vero dantur eorum utilitatis exempla. Varii modi ſudorem eliciendi praeſcripti fuerunt: Sic Celsus, "evocandus eſt ſudor, non "exercitatione tantummodo, ſed etiam in a- "rena calida, vel laconico, vel clibano, ſimili-

"buſque

" buſque aliis *." Inter medicamenta autem quae hac facultate pollent, efficaciſſima ſunt antimonii praeparata, vel ſola vel opio conjuncta, et pulvis ipecacuanhae compoſitus. Sed ſi indicium eſſet ut adaugeatur perſpiratio, abſque ſudore, hujus medicamentorum claſſis vires, calore corporis adhibito, tepidis epotis, aquae fervidae vaporibus, vel frictione e panno laneo levidenſi, et impregnato bene aromatibus aegrotantis corpori applicato, intendentur.

4to, *Emetica.*—Haec ſanguinis motum per abdomen promovent, ejuſdem viſcera incitant, ſecretiones et excretiones adaugent, et abſorbentium vires intendunt. Hinc ad emetica, fauſto admodum eventu, decurſum eſt. Nec deſunt exempla, ubi vomitio ſpontanea abſque ullo alio medicamento, hydropem ſanavit ; et hoc vel per ſe, eorum in hoc morbo tollendo, utilitatem ſtabilire videretur. Varia vomitoria ad hoc propoſitum comparandum laudantur, quorum potentiora ſunt, hydrargyrus vitriolatus, vinum antimoniale, antimonium tarta-

rifatum ;

* Vide Cels. Lib. iii. cap. 21.

riſatum; mitiora, ipecacuanha, ſcillae, &c. ut ex his medicamentis aliquid commodi eliciatur, eadem doſibus haud exiguis atque ſaepe repetitis adminiſtrari neceſſe eſt. Licet emetica huic quam aliis hydropis ſpeciebus magis conveniant, ad haec tamen haud termere currendum eſt. Iis enim qui haemorhagiis, lethargo, vel apoplexiae obnoxii ſunt, parca admodum manu talia porrigere oportet.

5to, *Sialagoga.*—Omnibus aliis hujuſce claſſis medicamentis longe praeſtantior eſt hydrargyrus. Hic ſalivae excretionem magnopere adauget, eaque de ratione aquas hydropicas evacuaſſe fertur. Ubi morbus a ſchirro originem trahit, rationi conſentaneum eſt, mercurium remedium ex omnibus longe praeſtantiſſimum exiſtere.

His omnibus medicamentis incaſſum adhibitis, ad paracenteſin, de qua ſupra verba fecimus, decurrendum erit. An haec, remedium praebeat utile, adhuc inter medicos ſub judice lis eſt. Ex his nonnulli paracenteſin ſummis laudibus adornant, dum alii eandem non ſolum fruſtra, ſed etiam pernicioſe celebrari

lebrari cenſent. Etſi noſtrum non ſit in hanc arenam deſcendere, multa leguntur apud MEADIUM, FOTHERGILL, et alios, exempla, ubi aegri non multum ſolum levaminis, ſed ipſam inſuper vitam per aliquod temporis huic remedio debeant. Fatendum eſt autem, parum vel nihil inde auxilii oriri, ſi hydrops, quaedam ex viſceribus majorem molem adepta, vel malum corporis habitum, cauſam agnoſcat. In hujuſmodi exemplis nonnihil praebebit paracenteſis, minime tamen perſtantis ſolatii. Morbus brevi recurret, medicamentaque omnia, pro ludibrio habet. Modum quo haec operatio recte perfici queat, ut tacitus praeteream neceſſe eſt, utpote ad provinciam noſtram non pertinens.

III. Nunc pervenimus ad tertium conſilium, ſcilicet, tonum corpori reddere, quo hydropis reditui praecaveatur: Remedia quae huic conſilio accommodantur, ſunt diaeta roborans; exercitatio; medicamenta tonica; frictiones; et balneum frigidum.

Diaeta concoctu facilis et nutriens eſſe debet, cujuſmodi ſunt genera carnis validiora.

Si,

Si, ob ventriculi debilitatem, carne veſci non poſſit aegrotans, juſculum e bubula, vitulina, vel pullina carne paratum, ſorbere oportet: prout robur revertitur, ad carnes gradatim decurrendum eſt. Potus ordinarius e vino rubro auſtero, diu condito, et modice diluto, vel potius vino Rhenenſi, conſiſtere debet. Si aegro magis placuerit, modica liquoris ſpirituoſi quantitas, aqua commixta, concedatur; et hoc conſilio ſpiritus juniperi dilutus, noſtratibus *gin punch* nuncupatus, utpote fluxum urinae adaugens, huic rei apprime accommodatur: et auctor cujus verba ſupra retulimus dicit: "Potio optima eſt, quae urinam movet *." Cerevifia fortis inſuper vernacula lingua *porter* dicta, nihil obſtat quin utatur, ſi modo hanc appetat aeger, et ventriculus ejus grata fuerit.

Ad corporis vires reficiendas exercitatio praeſtantiſſimum praebet remedium: Solida firmat atque denſat, ſecretiones et excretiones intendit, cibi appetentiam acuit, alimentorum concoctionem promovet, et denique, corpori vigorem

* Vide Cels. Lib. iii. de Hydrope.

vigorem animoque hilaritatem ſuppeditat. Quod vero ad ejus modum ſpectat, is qui aegrotanti gratiſſimus eſt, et viribus ejus accommodatiſſimus, optime reſpondet. Sed exceſſus in exercitatione adhibenda, ſumma diligentia, evitetur; tantum enim abeſt, ut proſit, ut contra valde nocet, corpus exhauriendo, et occaſionem qua morbus revertatur, praebendo.—Aër purus et ſiccus, cum exercitatione conjunctus, vireſque hujus tonicas intendens, locum hic magno jure ſibi vindicat.

Limati judicii et elegantis oris auctor, de hac re verba faciens dicit: "Corporis quoque "exercitatio, ratione haud obſcura ſtimulum "ei impertit ſatis validum, et in quibuſdam "morbis utiliſſimum, aliiſque omnibus quot-"quot cogniti fuerint ſtimulis plane antepo-"nendum. Hoc imprimis verum eſt ſiquan-"do motus ſanguinis variis de cauſis praeter "naturam languet, et functiones quaedam ab "illo pendentes, ſecretio praeſertim atque ex-"cretio per cutem, et interdum per renes, ſi-"mul deficiunt. Neque profecto defuere "exempla, ubi poſt iſtud vitium eo uſque pro-

"ceſſiſſet, ut hydrops plane inſtaret, vel jam "ingraveſceret, omniſque igitur valetudo in "ſummo verſaretur diſcrimine, per ſtimulum "idoneae et crebrae exercitationis, ſanguinis "motu rite expedito, hydrops fugatus fuerit, "et aegri penitus convaluerint. Hinc etiam, "magna ſaltem ex parte, pendet beneficium "iſtud inſigne, et (*ſiquid de viribus remedio-* "*rum certum dici poteſt*) certum atque con- "ſtans, quod multi aegri morbis vetuſtis la- "borantes a juſta corporis exercitatione acci- "piunt *."

Ad medicamenta tonica quod attinet, lau-datiſſima ſunt, cortex peruvianus, acidum vi-triolicum, et amara, cujuſmodi ſunt, radix gentianae, lignum quaſſiae, cortex ſwieteniae febrifugae, extractum aut pulvis chamaemeli, abſinthium, cortex anguſturae, centaurium minus, colombae radix, ginſeng, cortex auran-tiorum hiſpalenſium, ſalvia, &c. quorum vires adeo omnibus patent, ut amplius de iis dicere, minime neceſſarium videatur.

H Frictiones,

* Vide Gregor. Conſpect. Med. Theor. vol. ii. § 1210.

Frictiones, utpote quae tumores hydropicos diſcutiant, nonnunquam utiles fiunt, et ubi aegrotus ad exercitationem non valet, ejus locum quodammodo ſuppleant. Sanguinis motum per venas intendunt, atque actionem reſorbentium promovent; hinc morbo quem tractamus multum prodeſſe feruntur. Ut frictiones faciliores evadant, et ni ſimplicitas remedii ab aegro contemnatur, haud abſonum erit pannum laneum oleo oblinere, cui fumus thuris, camphorae, vel his ſimilium ſubſtantiarum, addatur.

Si remediis ſupra recenſitis, aegro ſanitas contingat, et ſi vires magna ex parte reſtitutae fuerint, ad balneum frigidum decurrendum eſt. Hoc ad curationem ſtabiliendam, et ne mala ſigna revertantur cavendum, multum confert.

Hoc opuſculo qualicunque peracto, cogit me animus mentionem facere liberalitatis, hoſpitalitatis, et philanthropiae Doctoris Duncan, quas tam ſaepe vidi exhibitas, erga omnium

nium regionum et denominationum ſtudioſos, qui ad hanc celeberrimam Univerſitatem adventant; (–agendi mos, magno animo, philoſopho, viro benefico et profeſſore aeque dignus, ac ipſi honorabilis et proprius;) et gratias meas, quae alto de pectore procedunt, ei reddere, pro urbanitate eximia, attentione, et pura amicitia, quibus haud dedignatus eſt me peculiariter proſequi.

Hanc praeterea occaſionem lubentiſſime arripio, gratitudinis, benevolentiae, et amoris mei, erga virum Reverendum Jacobum Hull apud Bangor, in medium proferendi, cum pro ea ſentiendi liberalitate, et univerſa benevolentia in omne genus humanum, quae vitam diuturnam, vocationemque honorificam ſemper inſigniverunt, tum propter numeroſa promerita, monita, et amicitiam eximiam, quibus me ſaepiſſime ditavit.

Itidemque, erga virum Reverendum Jacobum Caldwell apud Dundonald, cujus ea eſt animi puritas, morumque rectitudo, ut non ſolum ſibimet egregio ſint ornamento, verum

et

et inſuper univerſam humanam propaginem honore afficiant!

Denique, erga juvenem tamen nihilominus dignum amicum Reverendum Nathanaëlem Shaw apud Banbridge, a quo, in ſchola, in collegio, et in ſecreto vitae conſortio, tantum utilis non ſolum, verum etiam dulcis derivavi, et tantum honeſti, generoſi, et boni viri conſpexi, ut haec mecum animo reputantem eorum reminiſcentia maximis deliciis ſemper me affecit, afficietque, eumque forti irruptoque amicitiae vinculo animo meo in perpetuum aſtringet.

FINIS.